



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Dominica decima quarta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

128 Dominica XIV. post Pentecosten.

In honorem SSS. Trinitatis *coronam B. V. M.* cum omni devotione, & reverentiâ oremus, & in fine *Te Deum Laudamus* addamus. Te decet laus! te decet hymnus Potens Domine!

Dominica XIV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

Sic est : Nemo potest duobus servire Dominis : Nemo carni simul, & Divino Spiritui. Fili! quis horum in nobis prævaluit hætenus? si passio; si corrupta natura : O quanta exin nobis indignitas! Seneca dixit : *Nulla servitus turpior, quam voluntaria.*

Instructio meritoria.

Ad libertatem filiorum Dei aspiremus. Obtinebimus, si appetitui concupiscibili quoad excessivas recreationes, & nimias hilaritates majorem vim intulerimus generosiores. Hodie mediam horam nobis subtrahamus de tempore recreationis, illamque lectioni spiritualis libri applicemus. Et hoc est gaudere in Domino, & recuperare deperdita tempora.

II.

II.

Quid est vita hominis? respondet hodiernum Evangelium: *Fœnum agri, quod hodie est, & cras mittitur in clibanum.* Et tamen tantus est amor vitæ, ut si vel à longè fiat mortis mentio, vix non desperatur. O fili! hæc, quæ dicitur vita, nihil est, nisi mors quædam perpetua, & exilium à cœlesti felicitate, ad quam procreati, & nati sumus. Vitam amamus: Patriam non curamus: Quid hoc?

Instructio meritoria.

Sequamur Gentilis Senecæ monitum: *Meditare quotidie mortem, ait. Qui hoc dicit, meditari libertatem jubet. Qui mori didicit, servire dedidicit.* Censilium opportunissimum! huic ne desimus, hodie aliquid per quadrantem de morte legamus, cœmeteriûmque defunctorum cum *Vesperis* ex Officio eorum visitemus. Beati, qui libenter sunt, & agunt cum fidelibus defunctis!

III.

AD quid tam inutiles curæ? semper de cibo, de potu, de vestitu, de sa-

F 5 nitate

nitate corporis cogitamus, loquimur, aut ordinamus; interim vix animæ recordamur. Quænam in nobis pars præstantior? pro anima utique mortuus est Christus? & hanc tam turpiter, & viliter tractamus! quia siti, fame perire sinimus. Meritò ingemiscit S. Xaverius: O anima! imago Dei! quis te satis æstimat? satis curat? pro te vitam, & sanguinem Deus ponere dignatus est, cujus nec stillam pro toto extrâ te mundo posuisset. Fili! ubi curæ nostræ, si non pro salute?

Instructio meritoria.

Corpori debentur paleæ; animæ cœlestes deliciae. Concedamus, & hodie post quamlibet refectionem, aut etiam recreationem Sanctissimum Altaris Sacramentum visitemus, & spirituali communionem sanctè consolemur jugiter suspirantes ad Eucharisticum Deum: *Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus!*

Do-

Dominica XV. post Pentecost.

EXHORTATIUNCULA I.

QUàm inscrutabilia sunt Dei judicia! defunctus hodie effertur, & hic unicus filius Matris suæ. Mors parcit nemini. Rapit æquè rosas & flores, quàm foenum sterile & aridum. Fili! ne noceat animæ, nostra sit cura unica. Verùm *animam mors non perdit, sed mala vita, abeuntque felices, quorum sine crimine vita est.* Cato.

Instructio meritoria.

Quæ autem sine crimine vita? si frequentiori confessione emundata; si quotidiano examine nocturno ritè perlustrata, & in amore ergà Deum, ac horrore ergà omne peccatum de novo obfirmata. ita fiat! consilium est: non respuamus. Hinc extraordinariam confessionem instituamus cum certis operibus supererogatoriis. Communis vita si non ferveat, displicet Deo.

II.

SUmus & nos ex discipulis Christi. Ita nostra sunt vota. At si Christum

F 6

non